# DE HAEMOPTOE DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM CONSENSU MAGNIFICI...

Alberto Stella

DE

# HAEMOPTOE

# DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM CONSENSU

MAGNIFICI DOMINI RECTORIS

PERILLUSTRIS FACULTATIS DIRECTORIS

SPECTABILIS DECANI

NEC NON

CL. D. D. PROFESSORUM

UNA CUM ADNEXIS THESIBUS DEFENDENDIS

PUBLICAE DISQUISITIONI OFFEREBAT

IN C. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

MENSE JUNII AN. MDCCCXXXVII

LAUREAM MEDICAM

ASSECUTURUS

**ALBERTUS STELLA**

VENETUS

**PATAVII**

**TYPIS SEMINARII**

MDCCCXXXVII.

AVVNCVLO · SVO

**IOHANNI . BAPTISTAE . PAIOLA**

MEDICINAE · ET · CHIRVRGIAE

DOCTORI

VIRO · VIRTVTE · SAPIENTIA · INGENIO

PRAECLARO

HVMANITATE · BENEVOLENTIA

SVAVISSIMO

QVI

CELEBERRIMI · PATRIS

NON · MODO · NOMINIS · SED · ET · DOCTRINAE

HERES

MIRA · OPERA · AB · ILLO · INVENTA · CONFECIT

ALBERTVS · STELLA

HASCE · EXIGVAS · PAGELLAS

CVM · VENERATIONE · ET · AMORE

ORANS · VT · POTIVS · AD · ANIMI · INTENTIONEM

QVAM · AD · MVNERIS · PARVITATEM

RESPICIATVR

D · D · D ·

Haemoptoe a graeca voce αιμα – sangue, πτυω – io sputo, *sanguinis* sputum denotat, atque hoc sub nomine e pulmonibus, nec non e larynge et trachea sanguinis sputum intelligimus. Variis nominibus insignita fuit *haemoptoe, haemoptysis* nempe vel *haemoptoica passio,* vel *sputum sanguinis,* vel *sanguinis fluor, cruenta expuitio, pneumorrhagia, haemorrhagia pulmonis, rejectio sanguinis e pulmonibus.*

Hippocrates aliique contemporanei medici nonnulla tantum de sanguinis sputo protulerunt. Ipse medicinae parens de haemoptoe non loquitur nisi tanquam de morbo symptomatico. Aretaeus sub sanguinis ejectionis nomine de haemoptoe et haematemesi loquitur. Alexander de Tralles de haemoptoe speciatim egit. Hujus tres admittit varietates, per ruptionem, per erosionem ac per dilatationem, ipsorum symptomata profert, nec non ab aliis morbis differentias et indicationes therapeuticas. Celsus de rationibus praecipue, quibus ab aliis haemorrhagiis haemo-

ptoe dignoscatur, scripsit. Sed post hosce, qui nonnulla generatim tantum de hoc morbo tradiderunt, haemorrhagiarum doctrina tempore Stolli et Hoffmanni praecipue eluxit; isti enim observationes multas atque multas collegerunt, e quibus earundem naturam ac therapiam adhibendam agnoscerent. De haemoptoe scripserunt tum Boerhaave, tum Van-Swieten in istius commentaria, Burserius, Vogel, P. Frank, Richter, Brera, Spedalieri, Raimann aliique multi.

In systemate sanguifero viget quam maxime irritabilitas; qua posita si in dato organo non solum vasa multa capillaria inveniantur, sed si haec ad arteriosa etiam pertineant, si textus cellularis istius partis tenuis et laxus sit, ut capillare systema tenui veluti pellicula tantum tegatur, si in ipso organo irritabilitas quam maxime vigeat, eo facilius haemorrhagia evenire poterit. Hisce praemissis facile explicatur et ab anatome et a physiologo, quomodo frequenterque haemoptoe occurrat. Pulmones enim pluribus vasis sanguiferis scatent, summe sunt irritabiles, processus haematopoeseos maxima ex parte in pulmonibus perficitur, motus continuus in ipsis viget, atque continuo cum vicissitudinibus atmosphaerae versantur in nexu.

Vario sub intuitu haemoptoe dividi potest vel relate ad *sedem*, vel ad *indolem*, vel ad vasorum,

e quibus provenit, *qualitatem*, vel ad *causas*, vel ad *typum*, vel ad *simplicitatem* et *complicationes*, nec non relate ad *decursum*; ego vero nonnisi illam divisionem exponam, quam eximii viri Pinel, Richteman aliique multi secuti sunt, utpote quae majore valore practico gaudet.

Haemoptoe est vel *constitutionalis*, vel *vicaria* aut *succedanea*, vel *critica*, vel etiam *sympathica*. *Constitutionalis* illa dicitur, quae ab innata corporis fabrica pendet, nempe vel a vitio quodam thoracis, aut pulmonum, vel a dispositione quadam organica naturae ipsius inhaerente, absque pulmonum thoracisque vitio. Fere semper quidem haemoptoe in subjectis sic dicto habitu phthisico praeditis occurrit; ast quandoque individua absque thoracis ac pulmonum vitio observantur per annorum seriem habituali haemoptoe laborantia. De hisce non desunt apud Hoffmannum, Zacutum Lusitanum aliosque exempla. Verum phthisicam eandem ac haemoptysicam constitutionem habendam non esse censeo; individua enim non pauca conspiciuntur, in quibus phthiseos symptomata clarissima sunt, quin per totum morbi decursum cruenta sputa appareant. Haec haemoptysis varietas plerumque est hereditaria, ac saepe recurrit. » Singu- »laris ac hereditaria, ait P. Frank, aut conge- »nita solidorum vel pectoris, vel colli structura

„non paucas, easque integras familias, quin labes „humorum contribuere videatur, ac sub vivendi „ratione meliori, ad pulmonum cerebrique pro„fluvia disponit „.

*Accidentalis* haemoptoe est illa quae ex causis accidentalibus exoritur, ut ex arthritide vel impetiginibus, ab alicujus corporis extremitatis amputatione, ex irae motu etc.; et cum haec causam propriam nec in generali subjecti constitutione nec in compage organica pulmonum aut thoracis agnoscat, hinc accidentalis nomine insignitur. Est qui exemplum profert de muliere quae dolorem una cum calore mordaci per crus dexterum patiebatur, nimis cito hoc dolore artis medicae ope sublato, in subsequa nocte haemoptoe laboravit, quae auxiliis omnibus pertinax, nonnisi post ipsius doloris reditum a rubefacienti cruri dextero adplicito revocati, disparuit. Est qui exemplum refert de muliere, quae per haemoptoen cruris amputationem secutam periit.

*Vicaria* vel *succedanea* haemoptoe illa nuncupatur, quae consuetas, suppressas sanguinis evacuationes supplet. Cum vero prae ceteris menstruationis vices gerat, hoc sub intuitu tantum vicariam haemoptoen considerabo.

Quaenam sit in femineo organismo uteri dignitas, nil est, quod tam luculenter evincat,

quam erethismus universalis, ac nervosa phaenomena, aliaque quae ubique manifestantur quotiescumque istiusmodi organon morbis adflictetur. Silentibus menstruis uterus prae primis patitur, novum stimulum ipsi addunt, inflammationem ad altiorem vehementiae gradum quandoque afferre queunt. Inhibito enim menstruorum fluxu, sanguis in vasculis moratur, et ceu humor illi in vasculis existenti penitus homogeneus nullum ab initio morbosum phaenomenon parat. Sed postea ea symptomata gignit, quae ex nimio sanguine plerumque scaturiunt. Et revera organa quae ad vividiores reactiones vel per se, vel quadam favente morbosa causa procliviora existunt, magis adhuc extimulat, inflammat, atque in varias adfectiones conjicit. Sicuti autem ex legibus organismi viventis constat quacumque secretione silente alia organa secernentia majorem activitatem adipisci, ita non raro haemorrhagia aliqua menstruationis vices gerit. Hisce positis, quis non videt haemoptoen frequentiorem esse debere menstruationis vicariam haemorrhagiam, cum maxima inter uterum respirationisque organa existat relatio, adjuvantibus simul magna ipsorum irritabilitate, sanguinis copia, motu continuo, continuaque relatione cum atmosphaerae vicissitudinibus? Nec antiquos medicos hoc latuit. »Quibusdam mulieribus, inquit Hippocra-

» tes, cum bimestres menses copiosi in utero ex» titerint, ubi intercepti fuerint ad pulmones fe» runtur ». Hanc haemoptoes speciem in feminis menstruorum periodum redire, et nisi curetur saepius reverti, notat Aretaeus. Apud Hoffmannum legitur de nobili matrona cui ingens terror contigerat tempore fluxus menstrui, qui inde illico suppressus fuit, sequente mox pectoris gravitate, praecordiorum anxietate et cordis palpitatione valida, sequenti menstrua periodo parum de utero fluxit, sed post similia symptomata secutum fuit sanguinis sputum post quatriduum cessans. Per novem annos continuos menstrua talis haemoptysis porrexit, ita tamen, ut graviditatis tempore cessaret, post partum denuo rediret, et toto lactationis tempore consuetam periodum servaret; interim tamen sanitas nil inde detrimenti passa fuit. De secretionibus sanguinis menstruationis vicariis loquitur Boerhaavius, ubi amenorrhoeae descriptionem tradens inquit: »Si posito corpore in conditione, hic san» guis retinetur, oritur plethora, tarditas, gravi» tas, pallor, dolor lumborum, inguinum, depra» vatae functiones omnes fere naturales, vitales, » animales, quae facile deducuntur a vasis nimis » pressis, liquido copiosiore suffocatis. Ab eodem » autem sic accumulato, mirae saepe parantur » viae variis secretionibus menstruis notae, dum

„per oculos, aures, nares, gingivas vias salivae, „pulmones, oesophagum, alvum, vesicam, mam„mas, cutim, vulnera, ulcera exire viderint me„dici „. In Anthologia medica a Brera directa novem mulieres, quae haemorrhagia vicaria laboraverunt, referuntur. Exemplum etiam habetur de femina, cujus menstruatio ab anno aetatis decimo sexto incepit; ast epileptico a paroxysmo suppressa evanuit omnino, et menstruationis tempore semper haemoptysis per 32 annos vicaria adparuit. Richter haemoptysim omni quarta hebdomada viginti quinque per annos recurrentem menstruumque fluxum absque infaustis sequelis supplentem vidit.

*Critica* haemoptoe raro prae ceteris haemorrhagiis criticis in praxi observatur, attamen aliquando sub alicujus morbi vehementia accidit cum aegri levamine: haec exempla inveniuntur apud Zacutum Lusitanum aliosque Medicinae Praxeos scriptores.

*Symptomatica* demum haemoptoe illa est, quae ab organica laesione vel adfectione viscerum abdominis liberum sanguinis a partibus superioribus refluxum prohibente dependet, vel eo quod organa adfecta nonnisi parvam sanguinis quantitatem admittant, vel quia circulatio in abdomine ob pressiones, quas ipsa viscera super vasa majora exercent, valde imminuta est. Zim-

mermann postquam de propria filia ab haemoptoe e viscerum abdominalium infarctubus enata morbis ipsius, historiam protulisset, sic prosequitur. »Il est evident, que ses nombreuses »obstructions devinrent la cause de la gêne de »la circulation, et de l'hemorrhagie funeste, qui »en résulta«. Hoffmann in cadaveribus illorum ab haemoptoe peremptorum bis in liene causam ipsius invenit.

Haemoptoes symptomata in genere in *prodroma* et *concomitantia* partiuntur.

Inter prodroma symptomata veniunt: lassitudo generalis, languor, anorexia, horripilationes ac dolores vagi et recurrentes, oscitatio frequens, extremorum maxime inferiorum frigus, quo persistente manuum pedumque venae disparent, magisque illa colli inflantur, caligo, vertigo, cephalaea gravativa, caloris, ustionis et ponderis sensus in pectore, nonnumquam inter scapulas, quandoque dolor juxta columnam vertebralem, inquietudo maxima, anxietas peculiaris, melancholia, cordis palpitatio, dyspnoea, borborygmi, alvus stricta, urinae pallidae, somnus inquietus, pulsus concitati, pleni, duriusculi.

In nonnullis individuis ista prodroma phaenomena desiderantur. »Non raro est, ait P. »Frank, et frequenter id nobis retulerunt san»guinem sine praevio ad pectus, aut aliam ad

»partem molestiae sensu, quasi tacite tracheam »ascendisse, ac modo larynge superato, faucium »titillationem, oris saporem dulcem aut salsum induxisse». Quod si aliis in speciebus haemoptoe absque symptomatibus prodromis praevio tantum sensu molesto apparet frequenter; in illa menstruationis vicaria fere semper, ne dicam semper, prodroma phaenomena observantur; imo hoc in casu ipsa prodroma praecedunt sensus ponderis vel doloris plus minusve intensi ad lumbos ac ad uterum. Plus minusve ergo dictis perstantibus symptomatibus prodromis, vel etiam quandoque deficientibus, haemoptoe ingruit.

Aeger horripilationem, frigus cum aestu subsecuto persentit: accedunt statim titillationis aut pruritus ac strepitus sensus in trachea et larynge, qualis sub levi catarrho accidit, nec non sensus ascensionis per tracheam et laryngem; tussis recurrit, spuendi necessitas urget, sputa mucosa in primis, dein cruore comitata ac omnino plus minusve cruenta, modo cum tussi vehementi, modo absque ea emittuntur. Observatione enim constat, quod quo major sanguinis copia emittitur, et tussis minor evadit, dum e vicissim ubi parva copia sanguinis, et tussis vehementior. Haec omnia phaenomena e sanguinis emissi quantitate, e velocitate qua fluit, ab organo, a quo perficitur, ac ab individui constitutione

pendent. Hinc si sanguis parca vel mediocri dosi emittitur, et individuus robustus potius sanusque sit, plerumque post hanc haemorrhagiam melius se habet; dum e contra si nimia quantitate emittitur, et subjectus potius sit debilis, pallor faciei, lassitudo generalis, pulsus debiles, extremitates frigidae, vertigines, aurium tinnitus, sudores frigidi, lipothymia, syncope ipsa motusque convulsivi majori cum intensitate praesto sunt. Verum attendere hic quam maxime oportet, an omnia dicta symptomata a morbo ipso, vel ab individui praecipue sensilitate pendeant; plura enim observantur individua, quae ex sanguinis hujus adspectu terrore ac metu adeo corripiuntur, ut vultus pallor, tremor, pulsus parvus, debilis, frequentissimus, lipothymia atque syncope ingruat. Quod si hoc in omnibus individuis evenire potest, quid de haemoptoe illa dicam, quae vices menstruorum gerit? Feminae enim istae sensiliores sub minimis etiam symptomatibus contremiscunt. Notandum praeterea hanc haemoptysis speciem frequenter una cum morbis aliis ab ipsa menstruorum suppressione procedentibus, hysteriasi praecipue, decurrere. Sanguinis emissi quantitas a paucis sputis cruentis ad uncias et ad libras usque ascendit. Hujusce morbi decursus pluribus de causis variare potest, ita ut nunc

brevi tempore absolvatur, nec amplius appareat, alias autem decursum teneat longiorem. Haemoptoe constitutionalis decursum lentum ac irregularem servat. Crises per haemoptoen non nisi raro breviterque observantur. Epidemice quandoque haemoptoen crassatam fuisse, nonnulla probant facta. Quod si haemoptoe alicujus evacuationis periodicae locum tenet, eo magis si menstruationis vicaria, nisi naturae viribus vel artis medicae ope restituantur menstrua, usque ad aetatem climactericam continuat. Hoffmann feminam vidit, cujus menstrua graviditatis tempore absque damno hanc per viam supplebantur. Alia facta supra adduximus.

Attentione digna sunt et symptomata nonnulla, quae sub cadaverum autopsiis prodiere. Plures inventae fuere in pulmonibus organicae degenerationes. Morgagnius in pulmonibus congestionem diffusam invenit; alias ipsorum tubercula apparuere. Portal in juvene qui quotannis haemoptoe laborabat, glandulas bronchiorum infarctas, sanis ceteroquin pulmonibus, invenit. Modo membrana mucosa rubra ac inflammata, modo ulcera, modo aneurysmata in pectore, modo varices, modo nulla in pectoris organis, sed in visceribus abdominalibus, vitia detecta sunt.

Innumeram fere prophasium catervam recensent pathologi, quae haemoptoen producere va-

lent; ita ut nulla fere sit morbifica potentia, quae hujusce morbi causa habita non fuerit. Sed melius res elucebit, si istae causae in *proegumenas* et *occasionales* dispescantur.

Inter proegumenas veniunt: *habitus phthisicus* sive *constitutio phthisica* sequentibus signis distincta: constitutio generalis est tenera, membra sunt gracilia cum corporis dimensione in longum excedente, capilli saepius flavicantes, oculi pulchre-cerulei, rubor genarum circumscriptus apparet, periodice revertens praecipue ad ossa zygomatica, visibilis (rosa phthisicorum) dentes albi, magni, larynx protuberans, vox acuta debilis, collum tenue longum, scapulae prominentes alatae, cutis tenera, mollis, alba cum venis superficialibus translucentibus, irritabilitas in systemate vasorum magna, pulsus frequentior quam in aliis subjectis, per causas levissimas humorum circuitus acceleratur, facultates mentis sunt excellentes, animus valde variabilis, in genere receptivitas magna cum minori reagendi potestate. In hisce individuis maxima adest organorum spirantium irritabilitas, qua de re magna apparet ipsorum in morbos pulmonum dispositio.

*Constitutio plethorica* individui talis est, ut nisi arte sanguis pro temporis opportunitate educatur, ex nimia quantitate, sanguis ipse aliquam

seligit viam qua e corpore erumpat; atque tali ratione nunc in hoc, nunc in illo organo, saepe saepius quidem ex causis allatis, in pulmonibus congestiones appareant.

*Aetas juvenilis et adulta*, ab anno scilicet 14 usque ad 36, magnam in hunc morbum dispositionem possidet. Quemadmodum enim aetate tenera in organis, quae vegetationis processui praesunt, major ad phlogoses cernitur proclivitas, ita aetate juvenili et adulta ea ratione qua perfectio animalis et irritabilitatis character potentius evolvitur, majorem in pulmonibus et corde in eundem statum pathologicum pronitatem esse debere sine difficultate colligitur; hunc autem statum pathologicum frequentem sistere haemoptysis fontem, nemo est qui non videat.

*Scriptores, studiis dediti, sculptores, aliaque omnia opificia in quibus pars anterior thoracis et deorsum inflexa permanet*, majorem praeseferunt ad hunc morbum dispositionem; istis enim in individuis inaequaliter sanguis per corpus distribuitur, atque hac corporis incurvatione favente, in pulmonibus quidem majori in copia colligitur.

*Tenella pulmonum compages, rachitis, scorbutus, scrophula* quoque ex irritabilitate partiali vel generali adaucta dispositionem pariunt.

*Abnormis thoracis conformatio* (gibbositas

et depressio in primis), vel *pectoris per thoracula angustatio* cum pulmonum motum turbent, eorumque normalem expansionem coerceant, sanguinis circuitum praepediunt, atque frequentem hanc haemorrhagiam reddunt.

*Viscerum abdominalium infarctus* eodem nocent modo, vel ex eo quod majora comprimant vasa, vel quod minorem admittant sanguinis copiam, unde hic sursum promovetur.

*Tempestas* etiam, uti *autumnus* et *tempus vernum*, nec non *epidemica constitutio* quandoque inter hasce causas recensentur. » Autumno praeterea, hic loquitur Hoffmann, quando » tempestas regnat inaequalis, maxima temporis » et frigoris est vicissitudo; tunc non modo fre- » quentiores esse solent defluxiones catarrhales, » sed maxime etiam subinde sanguinis fluxiones » immodicae atque etiam in dispositis illae, quae « fiunt per pulmones ».

Quantum vero valeant *habituales secretiones retentae* vel *imminutae*, jam supra locutus sum.

Inter excitantes causas recenseri merentur potentiae illae omnes, quae directe vel sympathice ordinem organorum spirantium circulationis turbare valent. Huc numerandae et ipsae nonnullae causae disponentes diu vel majori intensitate agentes. Enumerantur pariter violentiae omnes

externae in thoracem agentes, nisus quicumque inspirationis, vociferatio nimis protracta (oratores et mercatores) fibrarum aut tubarum inflatio, cursus, lucta, equitatio, vectio per loca saxosa, brachiorum agitatio, corpora peregrina pulmonibus illapsa, atmosphaera pulverulenta, vapores acidi sulphurici, hydroclorici, et fumus nicotianae inspiratus, alimenta et medicamenta nimis calida, aer rarefactus, balnea frigida, graviditas, lactatio, plethora, spirituosorum, mercurialium ac Veneris abusus, insultus asthmatici, et sensibilitas pulmonum major per praegressos catarrhos, tubercula pulmonum, tumores varii in pectoris cavo, aneurysmata varicosa, indurationes, hydrothorax, concretiones, vestes arctiores, in primis thoracula angusta, abdominales infarctus, aquae abdomine collectae, exanthematum repentina suppressio. Omnes dictae occasionales causae tales sunt, ut vel majorem ad pulmones sanguinis copiam stimuli ad instar provocent, vel eum per alias corporis partes debita quantitate distribui impedientes ad pulmonum vasa ipsum urgeant, atque localem hoc in viscere congestionem adducant.

Relate ad hasce causas maximam exerere potestatem ad hunc morbum producendum animi pathemata tantum advertam. » Insignis, loquitur » saepe laudatus P. Frank, sine dubio est nervo-

708



» rum in vasa potestas. Quas animi violentum » pathema hoc in flumine cruento procellas non » provocat? Et quantas apud homines fere so- » lum in praecordiis vasorum injurias hae tur- » bae producunt »? Quod si ista animi adfectio tam valet, ut per se haemoptysin producat, quanto magis in feminis amenorrhoicis valebit, in quibus sanguinis circulus in utero obstaculum ad functionem periodicam rite peragendam inveniens, ad pulmones praesertim veluti organa spongiosa minorem ei resistentiam opponentia majori impetu propellatur oportet?

Ad causam proximam deveniens, etiamsi quandoque per continui laesionem (diaeresis), per rupturam nempe vasorum (rexis) vel per eorum erosionem (diabrosis) ab acri chemico, ulcereve pulmonum ichorem fundente occurrat; ut plurimum tamen effectum sistit congestionis vel irritationis in pulmonibus vigentis, et haemoptoe a morbosa cruenta secretione (diapedesis) provenit, quae fit in membranae mucosae superficie cellulas bronchiales obvestientis. Bichat quoque ex cadaverum autopsiis dicit, se nunquam in illis ab haemoptoe peremptis signa erosionis vel rupturae in pulmonibus invenisse. En ejus verba: » J'ai ouvert très-souvent des subjets morts pen- » dant une hémorrhagie du poumon, j'ai exami- » né les surfaces bronchiques, et jamais la moin-

» dre trace d'érosion, ou de rupture ne m'a pa-» ru sensible, malgré la précaution que j'ai prise » de laver exactement cette surface, et de la lais-» ser macérer ». Eo magis certe per diapedesim haemoptoe menstruationis vicaria eveniet, cum non nisi cujusdam alius cruentae secretionis vices agat.

Exitus haemoptoes esse possunt in salutem, in alios morbos, vel in mortem.

In salutem abire potest quo magis sit morbus recens levisque, causae facile tolli possint, constitutio subjecti bona, nulla complicatio adsit, atque therapia usque ab initio morbi recte adhibita fuerit. Vicaria hinc haemoptoe recens absque mala subjecti constitutione, vel complicatione facile sanatur prae ceteris.

Quod si hae conditiones non faveant, in alios abit facillime morbos, in febrim nempe hecticam, in phthisim tubercularem, in adhaesiones, in hydrothoracem, in asthma ac in alias cachexias.

Mors vero contingit vel per morbos secundarios ab ipsa inductos, vel per suffocationem e sanguine pulmonales cellulas obcludente, vel per sanguinis nimiam copiam, quae corpori generatim detrahitur.

Si e nobilitate ac partis adfectae praestantia judicium inferamus, infausta persaepe evadit pro-

gnosis, saepe saepius haemoptoe mortis scaturigo uberrima fit. »Ceterum vera haemoptysis, inquit Burserius, nunquam expers discriminis est». In primis magna pericula affert copiosa e pulmonibus sanguinis profusio, quia potest hominem vel exanimare, vel suffocare, vel si mors non sequitur, ulcera insanabilia relinquere. Hac de causa Hippocrates scripsit: »A sanguinis sputo, puris sputum merum »; quod verissime accidit, si febricula etiam sic dicta hectica concomitatur. Reapse alio in loco ipse inquit: »febri-«citare autem et tussire, ac dolere vehementer, »et sanguinem recentem semper spuere, damno-»sum: Hoffmann putat, aegrotantes qui plus »quam una vice hoc morbo laborant, difficulter »ad perfectam reduci sanitatem, nisi magnam »de semetipsis severamque curam adhibeant. »P. Frank sequentia optime profert. Quid a »sanguine sincero, aliis humoribus pene dis-»persis, malorum nascatur, nemo est qui igno-»ret. Prae aliis infantes, minus feminae quam »viri ab illius jactura offenduntur, ac in genere »hydropes et tabes, lipothymia, et convulsio, »mors ipsa nunc citius, nunc tardius haemor-»rhagias insequuntur ». Haemoptoe critica fere semper salutaris, nisi nimia copia peccet. Haemoptoe symptomatica a laesione vel adfectione aliorum viscerum, fere semper, monentibus Stoll,

Sydenham aliisque pluribus, semper letalis. Generatim periculosior haemoptoe in subjectis dispositione hereditaria, pulmonum morbis scrophula vel rachitide laborantibus; periculosior ubi tussis, dolor, dyspnoea, profluvia praecedunt, comitentur, atque illis jam cessantibus, per plures adhuc dies continuent, lentaeque febris ac tabis pulmonalis symptomata accedant, si maximo cum impetu cruor copiosus coccineus, sub strepitu quasi aquae ebullientis in cavo thoracis profundo per vices praecipitet, si extrema frigescant, si vomitus, lipothymiae repetitae, convulsiones succedant, quin cruoris fluxus cohibeatur, si causae auferri nequeant, si sanguis recens frequenter expuatur, si sputa sint frequentia, nigra, ichorosa, puri immixta.

Nihilo tamen secius experientia saepe demonstravit a vera haemoptysi interdum non paucos evadere quibus mature artis medicae auxilium feratur, neque grave sit ipsius diaetae legibus obtemperare. Accidentalis in genere haemoptysis minus periculosa, si causae ipsius in genere brevi agant tempore, vel tolli possint, nec habitus phthisicus, nec aliae circumstantiae supradictae hunc morbum periculosiorem efficientes appareant. Inter reliquas illa menstruationis vicaria minus periculosa etiamsi diu continuet. »Minus quoque facessit, subjungit Burserius, hae-

2. —


„moptysis quae ab aere rariore et leviore, aut „a suppressis catameniis, aut ab alia evacuatio„ne deficiente procedit". Idem probant facta ab Hoffmann, Richter aliisque observata.

Therapia pro causarum, a quibus morbus gignitur et sustinetur, diversitate discrepat. Recte, dicit Haller: „Ille solus morbum curavit qui ejus causas cognovit".

Sub paroxysmo ipso indicationem clare patet, sanguinis profluvium imminuere, vel melius, si fieri potest, sistere. Interea aeger capite et pectore elevato, quasi lecto insidens, decumbat, ab omni tum corporis, tum maxime pectoris atque animi motu abstineat, imo vel ab ipso sermone sibi caveat; in conclavi ad frigidum potius inclinante conquiescat, stragulis levibus corpus cooperiat, neque vestimentis nimium adstrictis sanguinis circuitum turbet, tussim quanta maxima potest cura caloremque tam in potu, quam in cibo devitet.

A venae sectione ut plurimum haemoptoes cura initium sumit, individui constitutione morbique vi adaequata. Hoc in morbo vasorum ac pulmonum irritabilitas est adaucta, sanguinis major ad respirationis nobilissima organa quantitas fluit; ergo ad sanguinis fluxum sistendum, eique majori vi in pulmones ruenti aliam directionem conciliandam nil tutius ac promptius

hoc remedio, quo cordis systematisque sanguiferi stimulus magis homogeneus subtrahitur. »De »necessitate sanguinem mittendi in hoc loco, »inquit Van-Swieten, satis convenit inter me»dicos, et quidem statim in ipso initio, dum »sanguinem expuere incipit aeger; melius foret, »subjungit, si ex signis antea memoratis futuram »haemoptoen praeviderint medici illam tempe»stiva sanguinis missione praecavere». Relate ad venae sectionis usum in haemoptoe, en quid dicit Burserius: »In hoc etiam fere tota conti»netur prophylaxis eorum, qui in phthisim ex hereditaria labe propendunt». Hinc ab initio praecipue bis, ter de die pro re nata repetatur. Nonnulli phlebotomias usque ad animi deliquium commendant; verum haec praxis summopere damnosa; si enim sub morbi initio juvant, in posterum damnum saepissime afferunt.

Praestat interim summopere, ut quam cito sanguinis ad pulmones fluxus imminuatur, pediluvia, maniluvia, rubefacientia, sinapismi, vesicantia ad extremitates praesertim inferiores adplicita.

Intrinsecus scopo antiphlogistico ac ut alia secretio substituatur, purgantia, emollientia, mucilaginosa, oleosa propinantur, uti potiones temperantes, decoctum hordei, vel glycyrrhizae, vel althaeae, vel salep, limoneae simplices vel nitra-

tae, tamarindus, cassia, manna, sales medii, oleum ricini, vel amygdalarum dulcium. Si levissimus sit morbus, haec sola interna remedia sufficiunt, sed raro. Nitrum maxima pollet virtute ad capillarium vasorum turgorem deprimendum sanguinisque crasim attenuandam. Revera maxima cum utilitate in Clinico Instituto a clarissimo professore Lippich in morbis phlogisticis saepe et ad magnas doses adhibetur. Thomas Dickson nitrum parvis et crebro repetitis dosibus ad haemoptoen coercendam, ut tutum remedium, tanquam chinae-chinae corticem in fugandis febribus intermittentibus praedicat. Burserius nihilominus admonet nitrum saepe tussim excitare vidisse, imo interdum, inquit ille, diuturnum largumque ejus usum haemoptoen ipsam induxisse.

Si sanguinis effusio hisce sub remediis non cesset, nec labantur vires, ad digitalem purpuream est confugiendum, quae specifice fere exaltatam systematis vasorum irritabilitatem compescit, orgasmum ac congestiones dissipat, pulsum liberiorem rarioremque reddens. A multis ipecacuanhae refractae doses in haemoptoe laudantur. Ubi autem sanguinis fluxum sistendi necessitas urget, praeter rubefacientium vesicantiumque usum ad adstringentia deveniatur oportet. Inter haec recensentur: acida mineralia diluta,

aluminosa, ratania, simaruba atque alia multa. Sulphatem potassae et aluminae acidulum in aqua solutum juvasse, testantur multi optimi practici. Ab initio a drachma dimidia, postea ad unam ascendendo in quatuor vel sex vehiculi unciis epicratice omni bihorio, vel trihorio erit exhibendum. Prudens vero sit medicus in adstringentium maxime fortiorum usu, uti admonent Hoffmanni, Burserius, atque a mitioribus ad fortiora, quantum fieri licet, procedat. Aquae simplicis vel cum glacie usus ab Hoffmanno aliisque clinicis laudibus extollitur. Burserius quoque hujusce usum valde commendat. » Ego singulis, » inquit ipse, semihoris, octo vel decem uncias » praebere soleo, excluso quocumque alio alimen- » to, continuarique ejusdem potum suadeo die » nocteque ad aliquot dies, interdum ad hebdo- » madas, aut certe donec sanguinis sputum ces- » saverit. Postea paulatim imminui ejusdem a- » quae potus debet, et aliquid tenuioris alimenti » concedi licet ». Glaciei adplicationem ad pectus vel ad collum a nonnullis commendatam, tanquam pleuritidis fontem respiciunt Van-Swieten et Quarin. Secale cornutum, de quo sat bene scripsit, inter remedia ad hunc morbum devincendum tutiora recensetur. Nec balsama nativa recte adhibita salutari carent effectu. Quandoque nervosa symptomata una cum haemoptoe

apparent. Hisce in casibus narcotica magno cum emolumento in usum veniunt, ac praecipue seliguntur hyoscyamus, belladonna, aconitus napellus, acetas morphinae, aqua lauro-cerasi (a celeberrimo Lippich magnopere praedicata) acidumque hydrocyanicum.

Haec sistit in genere haemoptoes therapia. Quonam in casu, quanam dosi hoc potius vel illud conveniat remedium, ad lectulos aegrotantium tantum dignoscitur. Sagax ac prudens sit semper medicus oportet, ut remedia quae morbi intensitati, individui constitutioni, temperamento, causis aliisque circumstantiis conveniunt, seligat. Sequentia tantum adhuc advertam.

In haemoptysi constitutionali suppressio repentina videtur, sed per gradus fiat, aliaque interim vicaria secretio substituatur, quae postea facile absque damno supprimi poterit. Si de haemoptysi recenti ac accidentali agitur, absque metu juxta morbi vim therapia instituatur. In symptomatica ad adfectionem primariam cura dirigatur oportet; qua de re solventia si de infarctibus agitur in usum erunt vocanda. Critica haemoptoe ut plurimum salutaris naturae effectus compesci debet, si nimia sanguinis copia erumpit.

In haemoptysi a menstruatione suppressa exorta detractio sanguinis generalis praecedat;

ut plurimum enim, observat Tommasinius, et amenorrhoea ab excessu stimuli pendet. In eundem scopum, ut menstruatio restituatur, egregie conducunt hirudines ad perinaeum vel ad pudenda adplicitae, fomentationes ex diluto chamomillae infuso obtentae, cataplasmata emollientia uteri regioni superimposita, vapores emollientes, clysmata laxantia, vesicantia ad artus inferiores, pediluvia irritantia, vel semicupia, vel etiam quandoque balneum generale. Praeter haec laudantur interne exhibita sulphas, vel carbonas martis, valeriana, crocus orientalis, sabina, assa foetida, myrrha, chamomilla.

Postquam sanguinis sputum jam desiit omnino, non illico cura omnis praetermittenda, sed requiritur ut caveatur ne postea redeat, quod in hoc morbo satis frequenter fieri solet. Licet enim feliciter curata sit haemoptoe, ita ut nullum illius mali signum amplius supersit, et optima quaeque adpareant sanati morbi indicia; interim tamen certo confidere non possumus, cum saepius observetur redire haemoptoen nisi diligens cautela per longum tempus adhibeatur. Hac de re Hoffmannus in reconvalescentia seri lactis dulcis usum diutinum commendat. Hippocrates lactis vaccini (diaeta sic dicta Hippocratis) per longum tempus usum laudibus extollit, atque fatetur se multas radicales obtinuisse sanationes

ex solo lactis usu cum infuso florum papaveris rhaeados. Causae procatharticae vitari poterunt, dum recta vivendi methodus instituitur; major autem merito praevidetur difficultas in praedisponentibus causis emendandis; sed si quid sperandum ab arte medica sit, nec unquam cito sed sensim tantum illud obtinetur. Si convalescentia est ab haemoptoe constitutionali, diaeta tenuis quam maxime servetur, atque vix quaedam occurrant indicia quae haemoptoen praecesserant, sanguinis missio moderata instituatur; quae si per menses et quandoque aliquot per annos debita ratione administrata fuerit, morbus tandem radicaliter sanabitur. In haemoptoe symptomatica, solventia, purgantia mitiora diutius continuata opem ferunt. In accidentali, causae, quae ipsam produxerunt, vitentur. Cum vero haemoptoe menstruationis vices gerebat, attendat medicus in menstrua, ut debita periodo ac copia fluant, quibus imminutis aut silentibus, imo omni mense tempore menstruationis appropinquante nunc hoc, nunc illud pro necessitate remedium adhibeat, usque dum recte tutoque menstrua fluant.

Omnis autem medici sollicitudo incassum erit, nisi morigerum habuerit aegrum, qui et moderata velit uti diaeta, et validis exercitiis abstinere, in primis ab illis, quae pulmoni vim infer-

re possunt. Miserrima certe talium est conditio qui muneris ratione haec vitare nequeunt, vel nolunt.

## THESES DEFENDENDAE

I.

Diaphoretica absolute non dantur.

II.

Glandulae salivales et pancreas tum fabrica, tum functione, maxime inter se conveniunt.

III.

Neurilemma veluti productio meningum, cerebri et medullae spinalis non est considerandum.

IV.

Humor Amnios ad fetus nutritionem contribuit.

V.

Ophthalmia aegyptiaca essentialiter differt a vulgari ophthalmia catarrhali.

VI.

Chirurgiae studium medico maxime necessarium.

VII.

In phlegmatia alba dolente puerperarum phlebotomia vix quandoque rejicienda.

VIII.

Ad aegrorum idiosyncrasias, praecipue in morbis, quorum naturam non cognoscimus, pro therapia instituenda a medico respectus habeatur oportet.

IX.

Scrophulae extremi gradus oppositum exerunt in facultates intellectuales influxum.

X.

Omnia medicamenta directe aut indirecte vires infringunt; sola nutrientia vires restaurant.

XI.

Datur sub circumstantiis methodus syphilidem curandi sine hydrargyrio.

XII.

Divisio morborum secundum dyscrasias magnae est utilitatis.